3


IN SOLENNI
STVDIORVM ROMANÆ SAPIENTIÆ
INSTAVRATIONE,

ORATIO

IACOBI ALBANI
GIBBESII,
BRIT. M. D.
publici Eloquentiæ Profeſſoris;



HABITA
IN AEDE D. EVSTACHII
XV. Kal. Nouembr. M. DC. LVII.






ROMAE,
Ex Typographia Iacobi Dragondelli, M.DC.LVII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, Si videbitur Reuer. Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

M. A. Oddus Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capiſuccus Sac. Pal. Apoſtolici Magiſt. Ord. Præd.



EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI,
IVLIO CARDINALI ROSPIGLIOSIO,
SECRETIORI SCRINIO PONTIFICIS MAX. PRAEFECTO.



IACOBVS ALBANVS GIBBESIVS, S. P. D.



IBI verò, IVLI ROSPIGLIOSI, præſtantiſſime Cardinalis, mihi nupèr ab ALEXANDRO, PONT. MAX. eorum operum humaniorum in vtraque lingua, quæ ipſius immortalitati nominis vovi me conſecraturum, cenſori impoſito, perbenignoquè comprobatori, nouam huius acceſſionem Orationis dedico nominatim; quò publicè modò dictam in ſumma frequentia totius Vrbis, eandem orbis luce vniuerſi dignam itidèm, vt illa prima, ſuffragatorio puncto iudices, atquè decernas. Rem tuam permitte dici tantùm, non vereor, nè cæteræ gentes, ac nationes omnes, quæ vbiquè ſunt, non eam cupidiſſimè complectantur.


Nosti illud, *Sum Cæsaris*: feræ domini gratia habitus passim honos erat; non par, aut maior profectò mansuetæ Musæ, hoc est, soboli qualiscunque ingenij, cuius in fronte nomen inustum cernitur *Iulij*, deferetur? Ità nimirùm gemini sunt *Cæsar* & *Iulius*, vt coalescant plerumquè in vnum, vel promiscuè (quod est proximum) alterius vice sumatur alter. Parui refert enimuerò Heröum nomine appellari, nisi magnis id virtutibus, ac rebus præclarè gestis illustretur. In te quin hæc conueniant excellenter, nemo dubitabit, qui vitæ partem vllam tuæ respexerit vel inter viros principes, vel difficillimis in negotijs, ijsdemquè grauissimis, ac celerrimè semper felicissimequè euolutis, cum amore omnium & admiratione traductæ. Ecquidnam humile aut exiguum, & non altum, non excelsum, non grande, non magnificum, non diuinum agere aut cogitare credemus eum, qui perdiù versatus est in consuetudine, penè dixi familiaritate *Philippi Magni*, hodiequè viuit vnus ex domesticis intimis, atquè purpuratis *Maximi Alexandri*? Fierinè potest, hoc vt vsu, & propiore tactu, vtità loquar, Maiestatis, elationem quandam animi, planequè regios non hauserit spiritus? Hausit quidem certè. Vt qui in Sole ambulat, eius radijs tingitur & coloratur, sic reges quisquis tractet, qui sunt ipsi orbis terræ maiora lumina, cùm se paululùm admouit, nescio quo repentè iactu is afflatur serenitatis.

Vidi post Mutinensem reuersionem meam hæc in tè singularia merita iam tùm quasi iacta secutæ ampli-

pli-


plitudinis tuæ fundamenta: vidi, inquam, tequè adeò suspexi, semperquè deinceps omni officij ac studij genere colui. Nec me tu minùs, quæ tua est incredibilis lenitas atquè clementia, receptum in fidem omni honore & commendatione cumulasti. Hæret profectò, semperquè hærebit cordi penitùs meo atquè memoriæ infixa festina illa gaudij significatio, qua mihi per nobilem vnum assectatorem comitatus tui, de suggesto *Romanæ Academiæ* ab optimo Pontifice meis humeris, credo equidem, tuæ interpositione operæ, imposito, eodem es amantissimè die gratulatus. Quo etiam nomine, cùm tantum beneficium severis, abs me repetere sermonem istum inter primitias pro tuo iure, tanquàm fructum & præmium, omninò debes. Vale.

ROMÆ, Ex ædibus Eminentiss. Princ. *Bernardini* Card. *SPADAE.*



L. Annæus Seneca Epist. 6.

Ego verò cupio omnia, quæ scio, in alium transfundere; & in hoc gaudeo aliquid discere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licèt sit eximia & salutaris, quam mihi vni sciturus sim. Si cum hac exceptione detur SAPIENTIA, vt illam inclusam teneam, nec enunciem, reijciam. Nullius boni sine socio iucunda est possessio.



ORATIO.





CITVM est, idquè non tàm grauissimorum philosophorum, qui naturam penitùs omnem, eiusquè nutus singulos inspexère, testimonio, quàm ipsâ cuiusq; quotidianâ experientiâ, vsuquè priuato confirmatum, quantùm homines ratione præstant belluis, imò hac quasi notâ à reliquis animantibus differunt, tantùm eosdem anteire hominibus ipsis orationis facultate. Orationem cùm dico, non eam dico vim eloquendi fusam & copiosam, & omnibus exquisitissimis verbis, argutissimisquè sententijs ornatam, eaquè re artem, quæ Rhetorica dicitur, separatim per sese constituentem, (de hac enim dabitur alibi commodior disserendi locus, nè sacrâ in æde, communi celebritate collegarum atquè solenni, præsentibus vobis, Patres amplissimi, sapientissimi Doctores, Auditores etiam nobilitate atquè eruditione clarissimi, in regno videar meo proprio velle triumphare) sed opem aio linguæ illam cum mente coniunctam, quę ad cęteras artes siuè scientias orbis literarij totius explicandas non secùs adhærescit, ac lux ad Solem, ad virtutem gloria. Modum quippè certum quendam sermonis & præcipuũ

amant disciplinæ, pro requè subiectâ vnicuique varium, summum, medium, infimum, proùt sunt ipsæ diuersæ singulæ, sursúmquè feruntur aut deorsùm: quemadmodum faciendum nobis in familiaribus officijs, in legibus, in historiâ, in disputationibus, in decretis, asperiùs in iudicando, in deliberando tractiùs, magnificentiùs in exornando, dùm aut loquimur, aut scribimus, egregij præcepêre dicendi magistri. Quid ergò? intra facultatis extremos vel oratoriæ vel poëticæ fines dissimili stylo, totoquè alio dictionis genere vti licet, pro humilitate & granditate materiæ, quam tractandam suscepimus, in partitione & diuortio scientiarum longè disparilium non licebit? Nequè verò mihi dicat hîc aliquis, dialecticorum captiones ambiguas, & Stoicorum dumeta, qui contortulis quibusdam & minutis conclusiunculis, velùt spinis & pugionibus aduersarios pungunt, Rhetoricis pigmentis & flosculis distincta commendari pulchriùs: nàm hoc quidem est ridiculum, Logicen eam, aut Physicê ampliùs putare, quæ proprijs egressa cancellis pedem posuit in possessionem alienam; est enim vtraque iàm perfuga, in castra se Rhetoricæ coniecit, ius amisit, nomen induit, erasit suum.

Vultis, quid his tribus conueniat sigillatim, & in quo præcipuè discrepent, exponam? Faciam perlibenter, Auditores, vt adductâ ex bonis authoribus notatione aliquâ, de alijs sectis rationibusquè studiorum quid sit statuendum, existimare possitis. Ac Zeno quidem, inuentor ille & princeps Stoicorum, duos parietes de eadem fideliâ, quod aiunt; cùm figurâ solius manus dialecticam, & eloquentiam describebat. Quo id modo tandem? hanc palmę, illam pugno similem esse commonstrans: quòd, qui vni dabant operam, latiùs loquerentur, qui alteri, compresiùs, vt explicat assensor ei pedarius, Tullius noster. Nec ab hac sen-

ſententiâ quidquam abhorrere Ariſtotelem video, ſummum præceptorem, qui in veſtibulo artis Rhetoricæ ſcribit affirmatè, illam artem quaſi ex alterâ parte reſpondere differendi ſcientiæ: hoc vt interſit tamen inter vtrãque, quòd illa videlicèt ratio dicendi latior ſit, hæc verò contractior diſputandi. Veniamus nunc ad tertiam, quæ tot olim extitit familiarum parens diſſentientium inter ſe, eorum, quos iàm dixi, Stoicorum, tùm Peripateticorum, Academicorũ veterum & nouorum, Epicureorum, Pyrrhoniorum, Cynicorum, (nàm ſpeculatores inſecuti temporis, maximequè noſtri, nolo attingere) tot laudatam nominibus, ſed re parùm ſemper intellectam, Philoſophiam. Vt quod de Pythiâ ſacerdote, virgine regiâ, poëta cecinit,

——— fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, Dei iuſſu, non vnquàm credita ———

id ad hanc, omnium dominam virtutum, ſapientiæ reginam, donum inuentumquè Cœleſtium, videar merito poſſe iure, patronis iſtis & defenſoribus, accõmodare. Optimè ſiquidem ponebant illi vniuersè, naturâ ſolâ duce; at, cùm ferè maiorem partem peſſimè aſſumerent, peſſimè quoquè colligebant. Quarè cùm & pugnantia, & malè compacta, nequè conſiſtentia ex incertis principijs & vacillantibus plurima excluſiſſent potiùs, quàm concluſiſſent (quid autem expectari magnoperè aliud à factioſis hominibus poterat, nè minimo quidem puræ theologiæ radio illuſtratis, è quâ, tanquàm è ſilice, lumen illud excutiendũ erat, quod Deo non mentiente, ac reuelãte nixum, omnem pelleret dubitationem?) ex talibus, inquam, principijs, tàm infirmis, tàm obſcuris, fœda illa ignoratio veri πολυσχιδὴς, πολυγνώμων, ἑτεροδιδασκαλοῦσα; (quemadmodùm præclarè vocat Chriſtianæ Religionis Græcus antiſtes) hoc eſt, multifariàm ſciſſa, ac plurium mater opinionum, atquè aliena, & extranea docens, emana-

na-

nauit,mundumquè secum eâdem raptum caligine miscuit & inuoluit, quæ non partum veritatis, sed erroris abortum, ac peruersissima monstra satu quodam Ixioneo produxit.

Verùm dùm errores aliorum reprehendo, vehementer timeo, nè reprehendendus ipse sim: aberraui ego à proposito longiùs. Illùc igitur iam, vndè nescio quo pacto digressi sumus, redeamus ad eam, quæ in physicis ponebatur, tertiam differentiam. Sicuti primas duas de magnorum artificum sententiâ probatum est in breuitate & copiâ esse sitas, sic non erit, opinor, difficile, simili fide, hanc fundare scientiam in subtilitate. Atquè vt ambiguitas primùm amoueatur, videre oportet, quid sonet hæc vox subtilitatis, & huic verbo, cùm philosophum subtilem appellamus, quænam subiecta intelligatur notio. M.T.Cicero harum rerum, si quis alius, author planè sciēs & locuples, in libris de Finibus alicubi sic definit: Vt ea sit limitata quædam (non limata, quod multi hactenùs, vt obiter id etiam admoneam, perperàm legerunt) & rerum tenuitas, & verborum. Si tenuitas, resecatur continuò rhetorum profusa luxuries, & vbertas; si limitata, nō igitur de omnibus, quæcunq; in disceptationem cadere possunt, profiteri philosophus debet, vt orator, se dicturum: cui subiectam soli materiam non modò eloquentiæ præstantissimi doctores idem Cicero, & Fabius Quintilianus, sed philosophorū etiam facilè principes Plato, & Aristoteles concessêre quæstionem. Nàm si locutus est ornatiùs, sicuti fertur, physicus ille Democritus; aut scripsit aliquis disertiùs, quod editis de naturâ rerum poëmatibus egregijs fecisse laudantur Empedocles, atquè Lucretius; argumentum esto illud physicorū sanè totum, per me licet, non repugno; id contendo, voloquè peruincere, cultum omnem, & ornatum putandum esse oratorum. Ex quo profectò liquet manifestè, indagatores

na-

naturæ, itemquè artium cultores cęterarum, rebus contentos fucum laciniasquè verborum haud multùm ambitiosè quærere, his adhibitis etiam esse plerumquè de veritate suspectos, sequè intra præscriptum suæ cuiusque facultatis cũ laude singulos continere; at verò qui rectè, atquè ex dignitate nomen eloquentis tueri volet, eum definitam regionẽ habere nullam, cuius terminis circũseptus includatur, sed omnes omnium complecti scientias, & inuadere fundos ingeniorum oportere, in quibus iactare seipse, quotiescunquè vel voluntas, vel occasio tulerit, frequenti magnificè populo, atquè admirabiliter possit.

Animaduerti dudùm ex vultu multorũ vestrûm, Auditores, superciliоquè aut ad frontem immodicè reducto, aut austerè contracto, aut ad mentum grauiter demisso, deniquè ex agitatione corporis, ac distortione istâ membrorum ab interno, credo equidèm, animi sensu, atquè iudicio profectâ, ex quo cœpi facere collationem, disciplinasquè non re magis separaui, quàm sermone, me tacito quodam conuitio vestrarum aurium verberari. Fregi fidem, nihil me de rhetoricæ laudibus pollicitus initiò locuturum: quas ostentaui nunc gloriosiùs etiam fortassis ad inuidiam. Quid enim? irruit mihi statim in oculos eruditus puluis celeberrimi gymnasii vestri, atquè collegij, cunctaquè cũ exedris subsellia quadrato agmine insurgunt, & occurrunt: quid? tibi diserto soli esse licet in orchestrâ, nos, animæ viles, & miseri homunculi de fæce Romuli, vix è caueâ caput attollemus? quid? tu vnus inter omnes (si Deo placet) in scenâ Roscius gestum ages, reliqui sedebunt daturi plausum spectatores? Dubitabã herclè, quod euenisse video, valdèquè verebar, Auditores, vt ea, quæ protuli, non perindè intelligi auditu possent, atquè ego cogitans mecum primùm ipse designârã. Nunquàm animum induxi, nè leuissimo quidem flexu volun-

luntatis (opinionem de me iſtam,ſi fortè ſuſcepiſtis,quā-primū, quæſo, cum errore deponite) quorum conſeſſus grauitatem in hac arce terrarum omnium ſemper ſuſpexi,conſilij prudentiam in omnem partem colui,literarum amplitudinem miratus ſum, comprehenſionem ſcientiarum inſuper, atquè præceptionem veneratus, vt vos vſquequaquè doctiſſimos, graduquè laudis quolibet,honoris, præmij, gloriæ digniſſimos non putarem. Si artes ego ingenuas, ac liberales diſciplinas, quas profitemini ſinguli,quaſquè maiores noſtri ſcholas in totidem tribuerunt ſapientiſſimi viri, in magno illo doctrinę circulo ſecreui locis, quaſi radijs diuaricantibus à centro & formātibus ambitum, non eſt profectò, cùr doleatis. Id ægrè potiùs ferre debuiſſetis,ſi tentâſſem eaſdem confundere, quò minùs ſuo quæque lumine,ac globo proprio reſplenderet; veluti ſtellas nobiles plurimas permiſcuerunt, qui Viam lacteam oſtenderunt. Habet vnuſquiſque veſtrûm abſq; aucupio verborū (non quin eâ quoquè in parte valeatis plurimùm,ſed perſonę,quam induiſtis,ſeruiendum eſt) & ſine externæ ſubſidio facultatis, campum materiæ latiſſimum, vndè curſus arripiatur ad certam gloriam.

Agè ſanè, breue aliquod & illuſtre præconium, animi causâ, producamus iàm in fine,tanquàm Inſigne ſingulorum. Tu gloriare, Mathematice, vermiculato Platonis emblemate, quod in Academiæ limine pręfixum erat, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *Expers ingrediatur nemo*. Tu, Iuriſconſulte, inflexibilem Polycleti præfer normam, & inſcribe vetus illud; πάντα ζυγοῖς, *Ad lancem omnia*. Tu decretum diuinum oſtenta, Medice, humanæ faſtigium ambitionis, quod Hebręis primò dictum, quanquā Græcè item, vti alia,efferre poſſem,nè tamen Lucilij ſannam audiam,


At

At magnum fecit, quòd verbis Græca Latinis
Miscuit ————
malo Latinè, *Honora Medicum*. Tu præceptum inculca, Physice, mortalium generi commodissimum, siuè Chilonis, siuè Thaletis, certè Apollinis oraculo tributum, *Nosce teipsum*. Tu, Theologe, auctore Biante (nàm vndè meliùs, quàm à Sapientibus, qui fuêre de septem, huiusmodi lemmata capiamus?) *Disce ac doce Deum esse*. Tu Græcæ, tu Hebraicæ & Chaldeæ, tu Arabicæ, tu etiam Romanæ (nequè enim eximi me volo) linguarum Interpretes, conuenite in hoc omnes, quod Anacharsis inter Scythas mirabiliter ac diuinè pronunciauit, *Optimam linguam esse bonam*.

Ità, quæ de omni arte, & doctrinâ liberali, pro tenuitate iudicij, atquè ingenij mei, expromere habui, tam exiguo præsertim ad dicendum concesso tempore, vos pro lenitate, ac tolerantiâ vestrâ humaniter, Auditores, accepistis. Quarè gratias etiam habere & agere debeo, quas possum maximas, & singulares. Restat nunc, eum vt locum paucissimis verbis perstringam, in quo dilatando, atq; exaggerando illi semper, qui quotannis ante me dicere soliti sunt, totos fontes eloquentiæ profuderunt, vt præceptores scilicet ad institutionem sequentis anni cohorter diligentem, ac discipulos inflammem ad studendi, atquè auscultandi assiduitatem. Illud apud Collegas meos, nauos, & nobiles, & probos homines, attingere duco nefas, qui cùm charitatem proximorum, vrbisque splendorem huius, & propagationem suæ famæ mente vnicè cōprehendant, tum ad id *ALEXANDRI* Pontificis propensione, iteratissimi ac munificentissimi Principis, & *Flauij Chisij* purpurato patrocinio, & tuâ, *Carole Carthari*, studiorum Moderator, curâ vigilanti, vel maximè impelluntur: hoc nequè attinet, estquè superuacaneum vestris auribus, Optimi Adolescentes, infercire, quandò & in-

& ingenium à naturâ tantum, & magiſtros à fortunâ tàm præſtantes nacti eſtis, vt ſponte veſtrâ magnis ad eam laudem paſſibus non ſolúm deuincendi cęteros homines oratione, quod principio poſui, verùm etiam Superos ipſos vi rationis adæquandi, contendatis.

DIXI.



FLA-



FLAVIO CHISIO,

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO.

Romanæ tutelam Academiæ ipsi à Patruo, Sum. Pont. commendatam SAPIENTIA (id enim Gymnasio nomen est) immortaliter gaudens gratulatur.

ODE

EIVSDEM I. A. GIBBESII.



OMANVS merito cùm Pater adderet
Post ostrina Tyri vellera FLAVIO
Docti regna Lycei;
Centum plausibus artium
De cælo resonis, vox SAPIENTIÆ
Audita est iuueni. Macte nouis, noue
Rex, virtutibus esto,
Et factis Patruum refer.
Non Cyri studio, aut Herculis indoli
Posthàc inuideas; te vitij via
Nunquàm flexit inertem,
Tu clarum sequeris decus.
His altum gradibus iàm Capitolium,
His quondàm rutilum moribus æthera
Scandes victor, amantûm
Inter vota Quiritium.

At

At serò! genibus numina flagitant
Curu's: ô potiùs tutor ames diù
Cum Pastore supremo
Spectari cupidi gregis!
Hîc, hîc sollicito vt Mercurij iubar
Affulge populo: Sol micat aureus;
Currum Solis at ille
Indiuisus agit comes.
Magnus, fac, roseo pastor Apollini
Stellarum similis motibus imperet:
Terræ te globus ima,
Felicesquè vicarium
Prouisis homines ritè negotijs
Agnoscant dominum. Quis bona mentibus
Largiri valet æquè,
Aut defendere munera?
Nostras ô igitur respice porticus,
Et deuota fouè pectora Palladi,
Vt, te præside, Roma
Pœciles habeat Sophos.

FINIS.

At serò! genibus numina flagitant
Curu's : ô potiùs tutor ames diù
Cum Pastore supremo
Spectari cupidi gregis!
Hîc, hîc sollicito vt Mercurij iubar
Affulge populo: Sol micat aureus;
Currum Solis at ille
Indiuisus agit comes.
Magnus, fac, roseo pastor Apollini
Stellarum similis motibus imperet:
Terræ te globus imæ,
Felicesquè vicarium
Prouisis homines ritè negotijs
Agnoscant dominum. Quis bona mentibus
Largiri valet æquè,
Aut defendere munera?
Nostras ô igitur respice porticus,
Et deuota foue pectora Palladi,
Vt, te præside, Roma
Pœciles habeat Sophos.

FINIS.

At serò! genibus numina flagitant
Curu's : ô potiùs tutor ames diù
Cum Pastore supremo
Spectari cupidi gregis!
Hîc, hîc sollicito vt Mercurij iubar
Affulge populo: Sol micat aureus;
Currum Solis at ille
Indiuisus agit comes.
Magnus, fac, roseo pastor Apollini
Stellarum similis motibus imperet:
Terræ te globus ima,
Felicesquè vicarium
Prouisis homines ritè negotijs
Agnoscant dominum. Quis bona mentibus
Largiri valet æquè,
Aut defendere munera?
Nostras ô igitur respice porticus,
Et deuota fouè pectora Palladi,
Vt, te præside, Roma
Pœciles habeat Sophos.

FINIS.

At serò! genibus numina flagitant
Curu's: ô potiùs tutor ames diù
Cum Pastore supremo
Spectari cupidi gregis!
Hîc, hîc sollicito vt Mercurij iubar
Affulge populo: Sol micat aureus;
Currum Solis at ille
Indiuisus agit comes.
Magnus, fac, roseo pastor Apollini
Stellarum similis motibus imperet:
Terræ te globus imæ,
Felicesquè vicarium
Prouisis homines ritè negotijs
Agnoscant dominum. Quis bona mentibus
Largiri valet æquè,
Aut defendere munera?
Nostras ô igitur respice porticus,
Et deuota foue pectora Pallads,
Vt, te præside, Roma
Pœciles habeat Sophos.

FINIS.